


vel pillulæ, vel potiones, vel solidiora antidota, dummodo admittat talia, qualis est agaricus, colocynthis, elleborus niger, pityusa, & reliqua huiusmodi. Propterea laudauerim hieram Galeni ex colocynthide, hieram Logodij, Rufi, Archigenis: confectionem hamech, pillulas aggregatiuas, & quas cocchias appellat: decoctum vel infusum agarici & rhabarbari cum syrupo rosato: bolū ex calsia & agarico, & plurima huius ordinis: vt tamen materia prius attenuetur concoquaturque cum oxymellite, syrupo de betonica, de stœchade simplici, cum decoctis ex aniso, fœniculo, ammi, cymino, betonica & huiusmodi. Et post purgationes vtatur caputpurgiis ex succo betæ, & tandem etiam cyclamini, & elaterij. Pro muscutorū corroboracione illiniatur, mundo existente corpore, ex oleo hoc modo confecto:

R. Foliorum saluæ,
Menthæ
Betonicæ ana man. s.
Radicum consolidæ maioris,
Calami aromatici,
Enulæ ana ʒ. s.
Garyophyllorum,
Piperis,
Cardami maioris,
Nigellæ ana ʒ. ij.
Rosarum rubearum man. j.

Contundantur radices & semina mediocriter, deinde bulliant omnia secundum artem in sufficienti quantitate vini albi odoriferi, ad consumptionem duarum partium. Inde facta diligenti expressione & colatura, adde olei anethini libram vnam. Bulliant omnia simul ad consumptionem vini, & in fine decoctionis adde euphorbij optimi puluerizati ʒ. ij. croci ʒ. ij. & vtere. Item singulis quibusque decem diebus laudo vt deuoret duabus horis ante cœnâ pillulas ex tribus rebus confectas, videlicet rhabarb. aloë, & agarico, æquis portionibus cum melle rosato simul confectis. Sit autem pōdus pillularū pro qualibet vice ʒ. ij. Ratio victus præterquam quod boni & facilis succi sit, declinet etiam ad genus attenuantium: vtaturque assiduè aniso, fœniculo, cinnamomo, confectis cum saccharo. Quæ ita peracta si non successerint, laudarem non tamen ab iis desistendo, vt accederet ad fortiora auertentia & deriuantia, quale esset cauterium, aut perforatio occipitij, in parte tamen inferiori circa tertiam colli vertebrâ, & in cute tantum, vel in vtroque brachio supra cubitum ad 4. digitos, in parte exteriori carnosâ.

CONSILIVM CXXV.

De catarrho ad fauces diminutione visus, & purulentis auribus.

 **M**NIA quæcunque afficiunt hunc nobilissimum virum, sunt circa caput. Audiuius enim totum corpus optimè valere: non solum audiuius, sed videmus, quod optimè nutriatur. In actionibus naturalibus & vitalibus bene se habet. Sed in capite patitur tria. Primò catarrhus defluit, & occupat fauces, & ille timet, vt ad alias quoque partes

defluat. Secundò, queritur de detrimento facto in oculo, & cum ablati visus, timet de altero. Tertio, quod habet aures purulentas. Nos igitur eius petitioni satisfacturi, consideremus symptomata circa caput, quia de aliis non conqueritur. Est itaque catarrhus, qui à capite deorsum (quia catarrhus significat defluxum) defluit ad partes subiectas. Materia verò ad fauces defluit, de qua queritur, an sit generata in cerebro, vel à cerebro quidè defluat, ab aliis verò membris transmittatur. Nam prout fit à diuersis catarrhus, ita habet diuersas quoque causas. Non dixerim, cerebrum non esse affectum, nec quod ab inferioribus nihil ascendat: quia audiuius, quæ præcesserunt ab infantia. Cerebrum semper fuit affectum. Habuit sæpe scrofulas, quæ fiunt à materia viscida. Et cum vteretur nutrice, cerebrum affectum fuit. Cessantibus scrofulis, passus est fluxum narium, qui indicabat repletionem capitis. Nunc verò hæc symptomata, quæ enumerata sunt, patitur. **C** Ergo habet cerebrum affectum. Planè igitur credo caput imbecille esse, & malâ in cerebro intemperie, ratione cuius generetur catarrhus. Ac propterea in cerebro læsionè essentialiter facientem catarrhum. Sed est ne intemperies pura, ita vt nihil ascendat à partibus subiectis? Non est possibile, quia habet caliditatem & humiditatem in corpore. Color ad albedinem cum rubedine tendit, habet venas amplas, caret pilis, quia caliditas cum humiditate non generat pilos, vt in pueris. Est copia sanguinis, & ad ea confert temperies hepatis: nam in eo fit sanguificatio. Et sanguis immutat corpus, vt sit humidum & calidum, quia hepar calidum & humidum multum sanguinis generat. Habet etiam cor calidum & humidum, de aliis enim iam non curo. Qui verò habent caliditatem & humiditatem, in illis fit redundantia vaporum, & ideo talibus facile repletur caput à vaporibus. Et si quis habet imbecille cerebrum, plures ascendunt ratio est: quia vapores suapte natura ascendunt: & quia cerebrum imbecillum, non concoquantur, refrigerantur, & condensantur. Vt in alembico fit, vel in generatione pluuiæ. Habemus igitur vaporosas materias, & deinde imbecillum cerebrum. Eaque imbecillitas est accidens consequens ægritudinem, videlicet intemperie, quam videmus ex humiditatis redundantia. Huius est signum excrementorum copia. Nullum enim vt 2. Artis parvæ lib. dicitur, est signum quod indicat magis humiditatem cerebri, quam excrementa. Præterea cum humiditate est calor, vt apparet ex magnitudine venarum. Adest igitur caliditas & humiditas: sed longè maior est humiditas, caliditas verò remissior. Cum igitur plus sit de humido, nihil mirum, si sint tot catarrhi: quia caliditas non potest resolvere tantam humiditatem, præsertim cum sit imbecillitas cerebri naturalis, facta ab humiditate, & accedente caliditate. Respondemus igitur quæstioni, quod catarrhus in capite generetur, partim per essentiâ, propter caliditatem & humiditatem cerebri: partim verò per consensum à membris inferioribus demandantibus ratione caliditatis & humiditatis. Propterea non mirum est, si à primo ortu fuerunt generati catarrhi: quia pueri